

1- DE NATURA DOCUMENTI.

In tam magna confusione prout nunc stat, populus Dei, et praesertim sacerdotes spectant ut Synodus quaedam principia proponere valeat, quae iuvamen offerant problematibus sacerdotalibus prout nunc practice iacent.

Non videtur possibile, in tam brevi temporis spatio ut ad extensum et profundum documentum perveniatur. Possibile, tamen, immo et necessarium est documentum quod clare proponat :

- a- Principia in linea fidei quae lucem afferant.
- b- Propositiones quae aliquo modo ducatum praebeant labori nunc agendo.
- c- Decisiones concretas pro actualibus historicis adiunctis Ecclesiae.

2- DE VITA SPIRITUALI SACERDOTUM.

Placuit circulo, primo agere de vita spirituali sacerdotum, cum deficiens vita spiritualis radix sit aliorum problematum de Ministerio Sacerdotali.

De natura vitae spiritualis.

- a- Omnes fideles vocati sunt ad sanctitatem ratione Baptismatis conformantis eos cum Christo. (L.G. 40)
 - b- Speciali modo Presbyteri, ratione suae consecrationis tenentur ad vitam suam Christo peculiari modo conformandam, et ad servitium communitatis consecrandam, unde ex ipso sacramento Ordinationis peculiari modo ad sanctitatem vocati sunt.
 - c- Haec vita spiritualis nequit seiungi ab eorum ministerio pastoralis quocum intime connecti debet, nam : " Sanctitatem propria ratione consequentur Presbyteri munera sua sincere et indefesse in spiritu Christi exercentes. "(P.O. 13)
 - d- Caritas Pastoralis centrum constituit vitae spiritualis presbyteri ut a Concilio Vaticano II intelligitur nempe, ut exercitium voluntatis Patris : "Presbyteri ergo suae vitae unitatem consequentur sese Christo coniungentes in agnitione voluntatis Patris et in dono sui ipsius pro grege sibi commisso." (P.O. 14)
- Caritas communionem informat : cum Christo, cum Episcopo et Presbyteris,
cum populo Dei, nec non cum mundo.
- e- Vita spiritualis evolvitur eo gradu quo ipsius virtutes theologales progrediuntur modo viventiali, scilicet, fides sensu biblico quae simul comportat adhesionem, fiduciam et sui donum in charitate.

De oratione.

Sacerdotium concipi non potest nisi ut sui ipsius donum, donum autem in rationalibus creaturis supponit dialogum, et dialogus cum Deo est oratio.

Hodie oratio plures difficultates experitur, sed crisis surgit plus de modis eam exercendi quam de eius necessitate.

Oratio procedit a fide, cum ea progreditur et ipsa oratio aptas conditiones promovet ut fidei donum a Deo augeatur, quod fidei donum per caritatem operatur.

Oratio a Sta. Theresia concipitur: "Tratar a solas, de amistad con quien sabemos nos ama". (Soli colloqui de amicitia cum eo quem novimus amare nos.) Hoc sensu oratio est fundamentum tum vitae personalis sacerdotis, tum suae navitatis, ad exemplum Christi.

In oratione publica Ecclesiae elementa Presbyter invenit ad orandum non solum pro fidelibus sed etiam simul cum fidelibus.

Hoc autem attingi non potest nisi in ipso seminario Sacra Scriptura, et Theologia Dogmatica ita edoceantur ut fontem vitae spiritualis constituent simul eas connectendo cum exemplis eximiis sanctorum.

Culmen autem vitae spiritualis in celebratione Eucharistica poni debet et seiungi non potest a sensu fidelitatis erga crucem (unde momentum poenitentiae et ascesis), erga proximum et erga Deum cuius fidelitatis optima imago in B.M. Virgine invenitur. In hac ascensione fidelitatis, necessitas ductus seu directionis spiritualis in oblivionem non debet incidere quae saepe neglecta vel tantum in circulis communitariis elargita sit.

3-DE CORRESPONSABILITATE PASTORALI.

a- Corresponsabilitas, quid sit. Corresponsabilitas fundamentum sumit a participatione consecrationis et missionis sacerdotii Christi quod Episcopi et Presbyteri participant diverso quidem gradu. Haec autem corresponsabilitas, in hoc consistit quod, sub ductu Episcopi, Presbyteri, partes habeant tum in proponendis et seligendis praecipuis quaestionibus, tum in redigenda quadam planificatione pastorali, tum in eius executione in qua unicuique tribuatur specifica eius responsabilitas ita ut omnia ad unitatem tendant ratione finis et ratione directionis ipsius Episcopi; corresponsabilitas exercitium requirit auctoritatis, ideoque minime confundenda est cum quadam democratizatione male sensu politico intellecta.

b- Praesertim, etsi non unice, exercetur in Consilio Presbyterii, quod inter alios fines hos sibi signare potest: de vita spirituali presbyterorum de eorum renovatione in scientiis sacris et in re pastoralis et de rebus quae ad conditionem temporalem et humanam sacerdotum spectant, agere.

c- Specialis attentio ponenda est in consociationibus sacerdotum quae sponte vel suassione Episcopi nascuntur ad vitam spiritualem sacerdotum promovendam. Non raro tamen, et aliae oriuntur quae quaestiones magis

conflictivas sibi proponunt, praesertim in rebus pastoralibus, vel socialibus vel immo politicis, et quae saepe ad constituendum coetum communitati ecclesiali nocivum ducunt. Maxima cum cautela in hac re procedendum est, sibi sincere inquirendo de causis eum moventem, quid positivum in eis inveniatur et quomodo quam citius eis episcopus obviam ire debeat ne fortior eorum oppositio evadat.

4- DE SACERDOTE ET DE POPULO DEI.

a- De relatione inter evangelizationem et sacramentalizationem.

Nobis insistendum est in maiore integratione evangelizationem inter et administrationem sacramentorum. Munus Presbyteri est inter fideles authenticam fidem theologalem suscitare, immo, cuidam dynamicæ adlaborare continuae conversionis. In luce clare ponatur nos ministros esse nuntii evangelici.

Evangelizatio non est confundenda cum promotione humana; ipsae nec opponuntur neque identificantur, sed invicem adiumentum praebent.

Curanda est illa evangelizatio quae impartiri debet in ecclesiis peregrinationes attrahentibus necnon aliae formae simplices verae fidei sic dictae popularis, ad maturitatem per aptam pedagogiam evangelicam adducendae sunt.

b- De Sacramentis.

Saepe Presbyteri, exaggerato quodam "horizontalismo" moti, valorem parvipendunt sacramentorum. Consiliamur ut per meliorem temporis distributionem attingatur perfectior integratio organica evangelizationem inter et sacramentalizationem.

Magni facienda est institutio praeparatoria ad sacramenta recipienda. Attamen, putamus cavendum esse ne admissio fidelium ad sacramenta nimio rigore inficiatur.

De actione sacramentorum ex opere operato, in memoriam revocare oportet sacramenta non esse tantum culmen fidei sed etiam fontem fidei.

Renovatio Liturgica eo ducit quod administratio sacramentorum tum exigit tum secum fert veram evangelizationem.

De Poenitentia. Animadvertitur quod ubique diminuit receptio sacramenti Poenitentiae, immo, alicubi omnino pessum datur. Hanc Synodum enixe exhortamur ut suum sensum aperiat circa accelerationem studiorum de Poenitentiae sacramenti disciplina renovanda.

Si studia quae nunc peraguntur circa Poenitentiae sacramentum reaffirmant id quod est mysterium sacramentale, etiamsi Poenitentia aegre ferretur, non obstantibus abusibus, eius valor agnosceretur.

Desideratur a Patribus ut Synodus aliquam orientationem praebet de absolutionibus generalibus quae nunc temporis sine confessione personali populo a multis sacerdotibus impartuntur.

+ De Missae celebratione. Indicatur factum quod hodie magna arbitraritas ubique grassatur. Sunt qui petunt creativitatem absolutam. Synodus rogatur ut aliquid dicat circa huiusmodi creativitatem, eiusque limites.

Saepe hodie inciditur in abusus circa administrationem sacramentorum ex quodam "immediatismo" exorientes, ideoque necessarium fit ad sanam et fundamentalem doctrinam reverti, nam actio pastoralis efficax peragi nequit nisi doctrina sit innixa.

+ Evangelizatio et prophetismus. A quibusdam prophetismus ad denuntiationem iniustitiarum redigitur, tamen, est aliquid magis positivum, scil., "proclamatio magnalium Dei."

DE PARVIS COMMUNITATIBUS. Efformatione parvarum communitatum ("de base") Ecclesia respondet cuidam realitati sociali, scil. parvis coetibus. Requisita ad veram et legitimam parvam communitatem efformandam consideramus sequentia :

a-Communionem cum Episcopo, Presbyterio et caetera communitate ecclesiali.

b-Puritatem doctrinae.

c-Eucharistiam rite celebratam, tamquam culmen huiusmodi existentiae ecclesialis.

d-Apertionem missionariam ad mundum et ad totam communitatem ecclesialem.

Notandum est quod cum hae nondum sufficientem gradum stabilitatis attigerint, nequit actio pastoralis efficax super eas fundari.

Animadversu etiam dignum est, parvas communitates non opponi vel nocere paroeciae, sed esse quamdam formam vitalizationis et aedificationis Paroeciae.

MINISTERIUM PASTORALE ET SECULARES OPEROSITATES.

+ Ministerium stricte pastorale est actuositas quae totam Presbyteri vitam praeprimis implet.

a) Operositas extra ministerium stricte dictum.

+ Huiusmodi operositas subsumi debet in totalitate ministerii apostolici

+ Decisio in ordine pratico , supposita compatibilitate determinatae operositatis cum ministerio apostolico, incumbit Ordinario loci iuxta normas a Conferentia Episcopali constitutas agenti.

b) Actio politica Presbyteri.

- + Ecclesiae est pro semper nuntiare suprema principia moralia ex Evangelio desumpta, quae totam humanam actuositatem regere debent, non exclusa actuositate politica. Participatio vero in politica factionum pertinet ad responsabilitatem uniuscuiusque, iuxta criteria in Evangelio inspirata et ab authentico Ecclesiae Magisterio cum suo organico dynamismo edocta, tam pro Ecclesia universali quam ad casum exorientem in ambitu alicuius Ecclesiae particularis; actio enim personalis in re politica semper ambiguitate optionum temporalium laborat.
- + Presbyter ut civis, omnibus iuribus civilibus gaudet, sed eius persona totaliter a suo ministerio pastoralis est assumpta; quod factum, eum unitatis principium in communitate constituit. Quapropter eius politica actuositas eousque extenditur ubi esse desinit principium unitatis in charitate pastoralis.

5- SACERDOTIUM ET COELIBATUS.

- + Circulus ex toto adhaeret omnibus quae iam in Aula dicta sunt circa valorem coelibatus sacerdotalis.

Patribus circuli praesentatae sunt duae propositiones ut circa eas suffragium ferretur :

- 1^a An debeat integra retineri vicens disciplina de coelibatu sacerdotali.

Exitus suffragationis : unanimes affirmativa fuit.

- 2^a An admitti possit convenientia ordinationis uxoratorum in actuali momento Ecclesiae (latinae).

Exitus suffragationis : tredecim negativum suffragium tulerunt, et duo placet iuxta modum.

+ *Fremiot Torres Oliver*

J. Fremiot TORRES OLIVER.

Relator.